EPISTOLA

A. R. PATRIS

WLODIMIRI LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITI GENERALIS

SOCIETATIS JESU

BRIGAE HELVETIORUM
TYPIS TSCHERRIG & TRÖNDLE
1915

EPISTOLA

A. R. PATRIS

WLODIMIRI LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITI GENERALIS

SOCIETATIS JESU

BRIGAE HELVETIORUM
TYPIS TSCHERRIG & TRÖNDLE
1915

REVERENDI PATRES ET FRATRES
IN CHRISTO CARISSIMI,

P. X.

Est hoc fere usu receptum, ut novus Praepositus Generalis decretis Congregationis, quae pro munere suo cum universa Societate quamprimum communicare tenetur, pauca tantum verba praemittat postea filios suos uberioribus litteris allocuturus. Cum vero ea, quae a Congregatione XXVI primo anno saeculi a restituta Societate secundi nuperrime sunt statuta, praecipuo quodam pondere atque gravitate existant, cumque praesertim rerum temporumque conditiones sint plane singulares, hanc statim occasionem arripiendam censui, Reverendi Patres ac Fratres in Christo Carissimi, vos paulo longius alloquendi, ut et cordis mei desiderio et novi muneris officio pro viribus satisfacerem.

Liceat mihi igitur hac epistola aliquanto fusius agere de praecipuis recentium decretorum argumentis, quae simul, non sine peculiari divinae Providentiae dispositione, monita nostris temporibus aptissima continent nobisque patefaciunt, quibus potissimum rebus opera nobis navanda sit, ut mediis in procellis hujus miseri mundi universum corpus nostrae minimæ Societatis « conservetur, et gratia divina aspirante in bono

suo statu et modo procedendi ad Dei et Domini nostri gloriam crescat».[1])

* * *

Sicut ipsa Congregatio sub auspiciis Reginae Societatis die 2 Februarii fuerat inchoata, ita post electiones peractas ab eadem BB. Virgine Maria principium factum est et «tanquam felix laborum initium» Patres omnes acclamantes statuerunt, ut instauratio festi Purissimi Cordis Deiparae Virginis a Sede Apostolica opportuno tempore peteretur.[2])

Caetera autem decreta legem ferentia in quatuor veluti genera dividuntur: quorum duo gubernationem externam spectant,[3]) septem de Instituto agunt,[4]) de doctrina et studiis duo,[5])

[1]) Const. p. IX, c. 6, n. 1.

[2]) Decr. 6: de petenda instauratione festi Purissimi Cordis B. M. V.

[3]) Decr. 8: Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis Provinciis proprius Assistens decernitur; decr. 10: Universitas Gregoriana singulari curae Praepositi Generalis commendatur.

[4]) Decr. 11: statuitur, ut Jus nostrum recognoscatur; decr. 12: simpliciores definiuntur normae in ordinis praerogativa deferenda Professis; decr. 13: de suffragationibus in Congregationibus Provincialibus, si quando de mutandis Constitutionibus vel Decretis agatur; decr. 14: de avertenda non recta interpretatione decreti 5 Aug. 1913 a S. Congr. de Religiosis lati; decr. 15: principia quaedam ad paupertatem sancte servandam; decr. 16: transmarinae Provinciae caeteris Provinciis aequiparantur; decr. 17: de potestate Praepositi Generalis Provinciam aliquam ab una ad aliam Assistentiam transferendi.

[5]) Decr. 18: Societatis Jesu adhaesio monumentis pontificiis, quibus Modernismus exploditur; decr. 19: de doctrina S. Thomae fovenda.

duo item de operibus Apostolicis.[1]) Non deest tamen, ut cuivis paulo diligentius rem consideranti patebit, mira quaedam in tanta rerum varietate unitas, quasi vestigium divinae illius sapientiae, quae Patres Congregatos, sive conscios sive inscios, ad fines beneplaciti sui dirigere dignata est. Etenim duo in iis prae caeteris manifesta sunt: desiderium Societatis magis magisque urgendi animorum atque mentium inter suos unionem et voluntas vindicandi, quantumlibet mutatis temporum conditionibus, Instituti nostri spiritum illibatum ejusque studium efficaciter promovendi.

Ut enim a mutua unione incipiam, quo alio quam ad membrorum inter se et cum capite conjunctionem spectant decreta de externa gubernatione et de studiis et de ministeriis Apostolicis? Id se praesertim intendisse, cum novam Americae Assistentiam conderet, Congregatio in ipso decreto claris verbis declaravit. Universitatem quoque Gregorianam, antiquum nostrum Collegium Romanum, ideo singulari Praepositi Generalis curae commendatam voluit, quo facilius magistros sociosque scientiae nobilitate atque religiosae vitae laude praestantissimos ex variis Provinciis ad se alliciens non tantum suis alumnis educationem quam perfectissimam secundum Institutum nostrum et finem a S. P. Ignatio in Constitutionibus propositum

[1]) Decr. 20: de Marianis Sodalitatibus efficacius in dies promovendis; decr. 21: de Apostolatu Orationis omni ope confovendo ac propagando.

impertiret, verum etiam aliorum Collegiorum Societatis universae exemplar et specimen ad imitandum existeret. Decreta porro de studiis non ad eadem disponenda atque ordinanda primo et directo tendunt, qui decretorum de studiis in Congregatione penultima erat finis, sed Apostolicum illud inculcant, quod in Constitutionibus quoque commendatur: «Idem sapiamus, idem dicamus omnes»: ut nimirum hinc a falsis horum temporum, modernistarum inprimis, placitis nostri abhorreant, inde vero S. Thomam Aquinatem proprium doctorem secundum Instituti et SS. Pontificum praecepta sectentur iisque doctrinis fideliter quoque inhaereant, quae in Societate receptae sint et nomine totius Societatis defensae olim fuerint. Eundem denique finem consequuntur decreta de Apostolatu Orationis et de Congregationibus Marianis, ut nostri omnes consimili ratione Christi fideles sub vexillis SS. Cordis Jesu et BB. Virginis Mariae congregatos ad solidarum virtutum perfectionem et zelum Apostolicum pro ratione sui status exercendum conducant.

Itaque clarissime apparet Patres Congregatos intimo animo persensisse in hoc tempore nihil magis necessarium esse quam ut Societatis filii arctissime inter se conjungerentur, voluntate quidem in obtemperando superioribus, doctrina in excolendis scientiis, opere in sacris ministeriis exercendis. Cum autem hujus unitatis vinculum et vis et forma sit sola illa charitas, qua quisque nostrum seipsum perficere conatur sicut Pater

noster coelestis perfectus est, in cujus natura omnia unum sunt, quamque Christus Dominus noster discipulis in ultima coena expoposcit, «ut omnes unum essent», [1]) fas est credere non sine SS. Cordis Jesu afflatu atque instinctu factum esse, ut Societas ad mentium animorumque concordiam denuo invitaretur. Nos igitur, Reverendi Patres ac Fratres in Christo Carissimi, divinae huic invitationi obsecundantes virtutem illam «Societatis amoris» quasi propriam iis modis promovere impense studeamus, quos S. Ignatius in Constitutionibus efficacissimos reputavit. [2])

«Quaedam ergo ex parte subditorum, quaedam ex parte superiorum, quaedam ex utrorumque parte juvabunt.» [3])

Subditi quidem sint et esse velint non «magna turba», quae, vitiis haud bene domitis, «ut ordinem non fert, ita nec unionem» sed «gens electa» veris virtutibus ornata, nec tantum veris, sed etiam solidis, nec tantum solidis, sed etiam perfectis. [4]) Ante omnes autem virtutes alias hic a S. Patre Nostro nominatur vera illa obedientia, quae in Societate «semper in suo vigore conservanda est», [5]) ut hoc «obedientiae vinculo» subditi cum suis immediatis superioribus, hi cum suo Praeposito Provinciali, hic denique cum Praeposito Generali libenter devinciantur. «Sic enim, subordinatione conservata, unio, quae in ea quam maxime consistit, aspirante gratia Dei conservabitur» [6])

[1]) Joann. XVII, 21. [2]) Const. p. VIII, c. 1. [3]) ib. n. 1. [4]) ib. n. 2 et B. [5]) ib. n. 3. [6]) ib. n. 4.

et ordo hierarchicus, a S. Pontifice Religiosis tanquam principium recti regiminis tantopere commendatus, in toto nostro procedendi modo elucebit.

Ex parte superiorum his duobus duo respondent. Primum enim perfectionis subditorum ipsi magistri, ipsi custodes, ipsi quasi sponsores sunt. Unde et cautissimos se praebeant in candidatis admittendis et in Scholasticorum animis effingendis quam diligentissimos, ne quisquam in nobis inveniatur, qui rerum spiritualium amantissimus non sit, vel cui non sit intime persuasum « illa interiora esse ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oporteat ».[1]) — Alterum est « bona existimatio et auctoritas erga subditos, ita ut subditi sibi persuadeant suum superiorem scire, velle et posse bene ipsos in Domino gubernare ».[2]) Quae tamen paterna auctoritas stare non poterit sine illa benevolentia et modestia, mansuetudine et charitate, quae efficiant, ut filii « se potius ad dilectionem majorem quam ad timorem suorum superiorum possint componere ».[3])

Ex parte denique superiorum simul et subditorum medium longe praecipuum « amor est Dei ac Domini Nostri Jesu Christi: cum cujus divina ac summa Bonitate, si superior et inferiores valde uniti fuerint, perfacile inter seipsos unientur ».[4]) Hoc igitur medio prae caeteris diligentissime utamur quod caetera

[1]) Const. p. X, n. 3. [2]) Const. p. VIII, c. 1, G. [3]) ib. [4]) ib. n. 8.

omnia eminenter in se continet; ad hujus amoris sedem et fontem, ad divinum Cor Jesu dico, avide properemus quotquot sumus Jesu socii. Ibi assidue commorantes contemplemur summae demissionis, charitatis, zeli pro gloria Dei et salute animarum aliarumque virtutum mira exempla et sine intermissione petamus cum S. Patre nostro cognitionem intimam Regis nostri, ut magis ipsum amemus eumque magis sequamur. Tunc enim fieri non poterit, quin inter nos quoque arctius in dies copulemur « per eundem illum amorem, qui a Deo descendens ad omnes proximos ac peculiari ratione ad corpus Societatis pertinget ».[1])

Quae quidem omnia cum tanti momenti sint, ut de his praecipue juxta mentem S. Patris nostri in instructionibus domesticis sit agendum,[2]) liceat mihi uni impedimento, quod mentium unionem aliquamdiu haud parum turbaverit, per authenticam declarationem fundamentum subducere et alterum, quod unioni animorum plurimum obesse possit, saltem libere indicare.

Cum enim ultimis hisce annis quædam dubia exorta essent de S. Thomae doctrina nobis sequenda et nonnulli censerent opiniones quasdam olim libere disputatas jam ab omnibus admitti debere, ut voluntati S. Sedis satisfieret, ex ipso Summo Pontifice reverentissime percontatus sum, ut mentem suam hac in re declarare vellet. Qui primum mihi, deinde coram omnibus PP. Assis-

[1]) Const. p. VIII, c. 1, n. 8. [2]) Summ. 18; cf. Const. p. III, c. 1, n. 21.

tentibus, haec est professus, quae postea scripto etiam autographo confirmavit: [1]) Velle quidem se omnino, ut S. Thomae doctrinam sequeremur, at nullo pacto ut libertas opinandi restringeretur in iis quoque rebus et quaestionibus, de quibus disputaretur inter catholicos, et quae disputabiles essent, qualis esset e. g. disceptatio de distinctione reali inter essentiam et existentiam aliaque id genus, quae in deposito fidei nullo modo continerentur; timere se potius ne hac libertate praecidenda alae simul ingeniorum inciderentur cum damno profundioris studii theologici. Immo in hujusmodi controversiis ipsius S. Thomae animum vere demissum commendandum esse, qui cum semel et iterum sententiam suam proposuisset, si alii etiamtunc ab illa dissentire persisterent, modeste tacere soleret. Quodsi theologorum princeps tam moderate se gereret, quidni ejus discipuli eandem moderationem servarent? Eum igitur imitari studerent; qui vero suas sententias aliis nimium obtruderent, eos ostendere se a vera humilitate defecisse et facile charitatem laedere, quae prae omnibus in omnibus servanda esset. — Haec salutaria Summi Pontificis monita, profecto minime ambigua, si omnes fideliter, ut fas est, secuti fuerimus, philosophia et theologia scholastica in scholis nostris, omnibus discordiarum atque inutilium dimicationum occasionibus remotis, duce S. Thoma, in dies magis efflorebunt crescetque in Societate numerus praestantium doctorum, quorum vires omnes ad

[1]) Documentum vide in appendice.

utrumque finem Instituti nostri proprium, ad fidem inquam defendendam juxta ac propagandam, majori cum fructu conspirabunt.

Alterum quoque periculum pro viribus depellere velim, quod Societati hac nostra praesertim aetate imminere videtur ex nationalismo illo moderno, qui vel corda fratrum ab amore avertere solet. Verum patriae amorem sane nemo est qui condemnet, cum et ipse Apostolus pro gente sua anathema esse cupiat. [1]) Neque vero Societatem Jesu unquam aliter sensisse cum antiqua tum nova ejus historia luculenter testatur et haec luctuosissima quae vivimus tempora Socios bene multos, ubicumque bellum grassatur, vere heroica charitate et ipsis adversariis nostris plaudentibus suae quemque patriae succurentes quotidie cernunt. At hodie post repudiata Christianae religionis sobria principia erroneae quaedam doctrinae propagantur, quae, Deo sive posthabito sive neglecto, sedes natales patriaeque dulcedines ita tamquam ultimum finem et supremam beatitudinem proponant, ut ne ab aeternis quidem justitiae charitatisque legibus violandis abhorreant et odium in exteras nationes pariant atque foveant, cum fraternam omnium in charitate unionem appetendam esse ipsa natura duce omnes homines agnoscant. Opus sane non est nostros contra effata tam falsa praemunire, quae et fidei et ipsius rectae rationis principiis contraria toti generi humano, nisi tempestive resipiscat, perniciosissima sunt fu-

[1]) Rom. IX, 3.

tura. Siquidem autem hi errores undique circumfusi a probis quoque catholicis spiritu quasi hauriuntur et aliquantum mitigati, ut fit, eorum animos specie boni seducunt, oportet, ut nos, vigiles almae Sionis, quae omnes sine discrimine Christi fideles suis moenibus complectitur, eos de insidiis praemoneamus, ne incauti et vel inviti decipiantur.

Non equidem ignoro in foliis, in libris, in doctis etiam cathedris et popularium oratorum pulpitis illud frequenter resonare, ejusmodi scita esse sanctissima eaque in dubium vocare nefas esse, tantaque id arrogantia asseverari, ut non pauci istas fallacias retundere vereantur, ne tamquam patriae hostes maledica lingua carpantur. At quo audacius malum propagatur, eo fortius — ea sane fortitudine quae prudentiam et suavitatem non spernat — nos recta fidei rationisque principia cum scriptis tum sermonibus inculcare populis oportet: omnes filios esse unius Patris coelestis, ex eadem Matre Ecclesia Catholica ortos, uno spiritu conjunctos in Christo Jesu Domino nostro, apud quem non est Judaeus neque Graecus, sed omnes unum sunt. [1])

Quam divinam hominibusque tam salutarem doctrinam quo efficacius aliis praedicare possimus, instemus ipsi diligentius, ut memores pro vocatione ad Societatem Jesu nos omnia quae in mundo habebamus reliquisse, omnem inordinatum affectum erga patriam exuamus eamque diligamus « eo solum amore, quem ordinata charitas exigit, ut

[1]) Gal. III, 28.

qui, mundo ac proprio amori mortui, Christo Domino nostro soli vivamus ». [1]) Socii sumus et administri Illius, qui injusta eaque ignominiosissima morte mundum redimens pro hostibus et interfectoribus suis orabat; membra sumus Societatis, cujus est « sine cujusquam offensione, quantum fieri potest, omnibus in Domino servire » [2]) quaeque nos jubet omnes homines universali amore in Domino nostro ita amplecti, ut parati simus ad vitam agendam in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequium et animarum auxilium speratur. [3]) Sancta et supra hanc infimam naturam sese extollens est haec vocatio nostra, quae nihil terrenum sapit, sed Spiritu Christi vivit, non gladio sed Crucifixi praedicatione mundum beare nos jubet. Cujus quidem naturae contrarium esse nostrum erga patriam amorem nefas est: sicut illa, ita hic spiritualis et supernaturalis sit necesse est, nisi velimus eum minime ordinatum esse, Deo minime acceptum, ideoque nec nobis ipsis nec patriae nostrae utilem, unioni autem inter universae Societatis membra haud leviter nocentem.

Libenter profiteor inter horrida bellorum, quae aliquot Societatis quoque Provincias olim florentissimas depopulantur, dulcissimum mihi quotidie solatium afferri a Patribus Fratribusque, qui alii ex aliis iisque inter se pugnantibus gentibus oriundi in vera tamen Christi pace tam fraterna invicem consuetudine utuntur, ut illam

[1]) Ex. gen. IV, 7. [2]) Const. p. VI, c. 3, n. 8. [3]) Const. p. III, c. 2, G.

sibi plane adipiscantur laudem, in monumenta historica relatam, qua primi Socii inclaruerunt, quippe qui ex variis nationibus sibi invicem infensissimis collecti cor unum tamen et anima una essent non secus ac si una omnibus patria fuisset. Sed neque deesse dicuntur indicia, ex quibus appareat principia falsi amoris erga patriam non omnino frustra conari aditum sibi in nostram Societatem patefacere. Deus avertat, Reverendi Patres ac Fratres in Christo Carissimi, ut antiqua illa sociorum consensio, quae proverbii locum per orbem universum obtinet, spiritu hujus mundi infecta aliquando labefactetur! Vigilemus igitur in orationibus, magis magisque in dies cauti simus; sed et fortiter ipsis initiis obstemus, ne hujus pestis vel levis halitus animos domosque nostras inficiat, neve tanta calamitas in Societatem nostram ingruat. « Nam profecto », ut verbis P. Claudii Aquavivae utar, « quaecumque tandem sit partium disjunctio, caritas solum communis pars nostra erit et fervens ad Deum precatio pro omnibus partibus. Divina, spero, Bonitas faciet, ut singuli pro sua virili reipsa demonstrare conentur, vigere adhuc in se sanctum illum spiritum, cum quo nata est et hactenus adolevit Societas ».[1])

In qua re ad hoc quoque attendamus, finem vocationis nostrae tam sublimem esse et vitae nostrae rationem a mundanarum rerum cura tam alienam, ut multa nobis interdicantur, quae ab aliis etiam ecclesiasticis viris fieri recte possunt et interdum debent. Ne ergo commune Societatis

[1]) In M. S.

bonum in grave periculum adducatur, oneratur superiorum conscientia, ut quidquid politicam sapiat aut verbo aut scripto publici juris fieri fortiter vetent; censoribus nostris, libellorum periodicorum praesertim, auctor sum, ut epistolam a R. P. Vicario die 7 Novembris 1914 datam [1]) attente relegant, quo fidelius executioni mandentur, quae ibi prudentissime praescribuntur; omnes denique nostros iterum iterumque obtestor, ut non tantum a rerum politicarum tractatione verum etiam « ab omni specie » politicae [2]) hisce praecipue temporibus sese cohibeant.

* * *

Alterum quod singulari prorsus modo in Congregationis XXVI decretis eminet et urgetur est firma voluntas conservandi illibatum juxta Constitutiones, Societatis traditionem, ductum Ecclesiae spiritum nostrae vocationis et promovendi ad hunc eundem finem studium Instituti. Huc spectat prae caeteris decretum de recognoscendis Instructionibus, Ordinationibus Generalium et Regulis, necnon Decretis et Canonibus Congregationum. Cujus recognitionis duplex ratio in ipso decreto indicatur: primum enim ea, quae legibus ecclesiasticis post Institutum editum latis fortasse non plane congruant, sive per convenientem et circumspectam immutationem sive per obtentam dispensationem ad Ecclesiae mentem sunt componenda; deinde oportebit aut si quae obsoleta videantur ea secundum monitum

[1]) Acta Rom. 1915, p. 51. [2]) Cong. V, decr. 47.

ipsius S. Fundatoris ad mutatas aetatis nostrae conditiones adaptare, quo melius «juvent ad procedendum in via incoepta divini obsequii juxta Instituti nostri rationem»,[1]) aut quae dispersa et discrepantia sint ea prudenter conjungere et conciliare, quo faciliora omnibus juris nostri studium et cognitio reddantur.

Et quantopere quidem vocationis nostrae spiritus exigat, ut instituta nostra S. Sedis beneplacito plenissime respondeant, nemo est qui non videat, cum hoc ipsum omnium Ordinum religiosorum et singulari modo Societatis Jesu sit principium vitale. Sed et quarumdam legum nostrarum accommodatio, quam Congregatio aggrediendam esse decrevit, menti et voluntati S. Parentis nostri est omnino consentanea; quandoquidem ipse praeter Constitutiones cum Declarationibus, «quae ad res immutabiles pertinent», alias quasdam ordinationes necessarias esse scribit, «quae diversis temporibus possint accommodari».[2]) Quod historia Societatis luculenter confirmatur. Etenim non sine ingenti admiratione cernimus Constitutiones post quatuor fere saecula nihil detrimenti passas esse, non senuisse, immo, si pauca excipias minoris momenti vel in quibus ipsius Ecclesiae disciplina nonnihil est commutata, plane intactas remansisse et plenum adhuc vigorem ad vitam nostram secundum spiritum vocationis nostrae moderandam retinuisse. Vere «hic digitus Dei est»; hic S. Spiritus apparet ut S. Ignatio in condendis

[1]) Const. Prooem. n. 1. [2]) Prooem. in Decl.

Constitutionibus, ita Societati in Patris sui haereditate vindicanda manifestus adjutor! Decreta vero Congregationum et Ordinationes Generalium et similia partim quidem Constitutiones pro personarum rerumque necessitatibus magis declarant, partim autem varias pro variis temporum conditionibus leges statuunt, quae natura sua mutabiles sunt et reapse non semel mutandae fuerunt. Etenim quamquam in iis quoque principia pulcherrima Instituti evoluta inveniuntur, interdum tamen fit, ut praecepta quibus principia ista olim sapientissime ad usum transferrentur, cum nostris temporibus minus conveniant, e. g. ubi de re familiari administranda agitur. Unde praeter alia hoc quoque periculum nascitur, ne cum modo obsoleto etiam spiritus abjiciatur, quem semper vigere et integrum servari omnino oportet. Accedit quod procedente tempore ordinationes in magnum, decreta etiam in ingentem numerum excreverunt, cumque praeterea nova et antiqua interdum haud facile inter se componantur, Instituti cognitio a Sancta Sede, a S. Ignatio, ratione ipsa tantopere commendata [1]) difficilis redditur, nobis praecipue qui ad vitam Apostolicam vocati omnes agendi normas promptas ad manus habere debeamus. Quae hic breviter attigi ea satis ostendunt et quanti momenti sit decretum de juris nostri recognitione et quanti laboris ejus exsequendi industria sit futura. Sed

[1]) Cf. Gagliardi, De plena cognitione Instituti Societatis Jesu, Prooemium.

labori parcendum non est. Nemo unquam clarius quam S. Ignatius intellexerit internam charitatis et amoris illius legem, quam S. Spiritus scribere et in cordibus imprimere solet potius quam ullas externas Constitutiones ad conservandam gubernandam atque promovendam Societatem esse adjuturam [1]) et nihilominus tam multum temporis ac laboris in conscribendis Constitutionibus consumere non dubitavit. Aequum ergo est nos quoque summis viribus contendere, ut reliqua legislatio nostra omnibus numeris absoluta sit et « nihil perfectionis quod divina gratia consequi possimus in absoluta omnium Constitutionum observatione nostrique Instituti peculiari ratione adimplenda praetermittamus ». [2]) Quapropter ut primum exoptata pax mundo reddita fuerit, Patres rerum nostrarum peritissimi collatis consiliis hoc opus grande suscepturi sunt et S. Patre Ignatio omnibusque e Societate coelestibus faventibus intra aliquot annos perfecturi.

Ex parte autem nostra his Congregationis totiusque Societatis curis debitam vicem reddemus, si ardeamus vero desiderio nos in dies magis nativo Instituti nostri spiritu imbuendi et utramque vitam nostram, cum externam quae disciplinam domesticam et operum Apostolicorum varietatem complectitur, tum internam quam jugis cum Deo conjunctio et solidarum virtutum amor maxime constituunt, ad legum nostrarum normam diligenter conformare studeamus. Atqui ad hunc finem nihil magis utile, nihil magis necessarium

[1]) Prooem. Const. [2]) Const. p. VI, c. 1, n. 1.

est quam post librum Exercitiorum, qui fons est, alterum quoque librum non minus admirabilem, qui inde defluxit, ipsas inquam Constitutiones recta ratione commentari, ita ut Constitutiones similiter atque Exercitia spiritualia nobis fiant quam maxime familiares: illas enim horum ad vitam universi corporis et singulorum membrorum applicationem non immerito quis dixerit. Recta autem ratio haec fere erit. Primum memoria sunt retinenda ea quae singulis Constitutionum partibus continentur; idque eo facilius est, quod S. Pater noster ob hoc ipsum « ut memoria retineri possent » [1]) brevitati consulens librum rebus et sapientia illum quidem praedivitem sed mole exiguum data opera composuit. Deinde intellectu singulorum sensum investigemus, omnium nexum inquiramus, pulcherrimum praeceptorum monitorumque concentum mentis auribus auscultemus. Tum assidua consideratione interiorem spiritum sub verborum cortice latentem haurire conemur. Cum denique ad haec obtinenda profanum et theoreticum, ut aiunt, studium quantumvis impigrum minime sufficiat, accedant atque adeo praecedant et comitentur et sequantur pia ad Patrem luminum precatio generosaque operis exhibitio juxta illam S. Gregorii recta cognoscendi regulam: « quisquis ergo vult audita intelligere, festinet ea quae iam audire potuit opere implere ». [2]) Ut breviter omnia complectar, quo modo sunt conscriptae

[1]) Prooem. in Const. decl. [2]) Homil. in Evang. lib. II. hom. XXIII, 2 in Breviar.

eo Constitutiones sunt meditandae: quippe quae vere dici possint fructus laboris improbi et multarum precum atque mortificationum, in quibus vir prudentia et sanctimonia singularis per complures continenter annos indefessus perseveravit. Itaque cum S. Francisco Borgia, « quoniam mihi ad omnes sermo est, vehementer unumquemque hortor ac precor, ne sola lectione eorum, quae Constitutiones nostrae praescribunt, et admiratione divini spiritus atque ordinis, qui in ipsis elucet, contentus sit; sed multo magis incumbat in observationem, cum ab hac sola pendeat fructus spiritualis et progressus, quem omnes optamus ».[1]) Sic, Reverendi Patres ac Fratres in Christo Carissimi, primus atque praecipuus juris nostri codex existet nobis fons in dies copiosior luminis et consolationis, ex quo sicut majores nostri spiritum genuinum Societatis id est spiritum Apostolicum haurientes « per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces, sicut egentes multos autem locupletantes » [2]) regnum Christi ad maiorem Dei gloriam et salutem animarum per orbem terrarum extendemus.

Et hic advertendum est non esse eas codicem aridum: praeter leges ad Societatem regendam sapientissime conditas quam plurima monita ascetica continent mirae plane unctionis et prudentiae, quae succincte et clare monstrant viam rectam ad perfectionem nobis propriam a primo

[1]) Ep. S. Francisci Borgiae, De mediis conservandi spiritum n. 7. [2]) II, Cor. VI. 8. 10.

ingressu usque ad supremum halitum, « ut in vita omnium et multo magis in morte Deus et Dominus Noster Jesus Christus glorificetur Ipsiusque beneplacitum impleatur et proximi aedificentur ».[1])

Cum ergo Congregatio postrema haec duo, unionem mutuam et studium Instituti, decretis plurimis Societati commendaverit, mihique monitis supremae hujus auctoritatis prae caeteris sit parendum, equidem, quamdiu Deus in hoc officio me retinuerit, animorum ac mentium conjunctioni fovendae quam maxima possum cura consulam fortique manu quidquid nocere possit propulsare enitar; amorem autem et cognitionem Instituti pro mensura gratiae, quam Deus propter bonum commune largitus mihi fuerit, promovere non desinam, memor Providentiam divinam nunc a nobis majorem contentionem et cooperationem postulare ad antiquum Societatis spiritum conservandum quam olim a majoribus nostris, cum primitiae spiritus vigerent.

Finem huic epistolae imponere decet gratias Deo Optimo Maximo agendo pro beneficiis, quibus nos hoc ipso tempore liberaliter praevenit. Neminem enim nostrum latet, R. P. Vicarium post decessoris mei desideratissimi funus Congregationem Generalem tam dubiis in rebus indixisse ut ne diem et locum quidem nisi post diutinam deliberationem assignare posset. Atqui cum haud parum angeremur, ne teterrimo bello saeviente aut aliquot Provinciae Congregationem Provincialem cogere aut complures Electores

[1]) Const. p. VI, c. 4, n. 1.

itineri se committere non possent, providentissima Dei miserentis ope factum est, ut constituto die BB. Virgini Purificatae sacro ex sex et octoginta Electoribus deesset nemo. Quanta deinde tranquillitate per sex hebdomadas dum tota fere circum Europa bello flagrabat, quam fraterna suavitate, quam mira consensione et electiones omnes peractae et gravissimae quaestiones disceptatae et decreta pacifica lata sint, quotquot Romae adfuerunt haud dubie animo gratissimo recordantur; complures Electores, in superioribus Congregationibus eodem munere perfunctos testantes audivimus se ne in media quidem pace majorem unquam concordiam vidisse. Id nobis quidem per totum illud tempus et permagnae consolationi fuit et incitamento ad gratiarum actiones dilatato corde divinae Majestati persolvendas, « a qua omne datum optimum et omne donum perfectum descendit ».[1]) Cum autem, quod ex litteris undique advenientibus intellexi, per Electores in suam quemque provinciam reversos jam caeteri omnes hujus sancti gaudii participes sint facti, omnes quoque a novissimo tirone ad veteranum usque in hac Domini militia stipendia emeritum in divinis laudibus ita consociari oportet, ut memores operum ac beneficiorum Ejus in Ipso spem nostram collocemus posterisque nota faciamus mirabilia Ejus.[2]) Hic, ut ex sacris litteris apparet, erat finis beneficiorum, quibus Dei gens electa fuit cumulata, hic iterum finis esse videtur donorum minimae

[1]) Jac. I, 17. [2]) Ps. 77, 4.

nostrae Societati nunc denuo collatorum, ut grato animo eorum memoriam renovemus mediisque in procellis animum ne despondeamus illud persuasum habentes Societatem nostram non mediis humanis conservari neque augeri posse sed per gratiam omnipotentis Dei ac Domini Nostri Jesu Christi qui conservaturus sit et promoturus quod ad obsequium laudemque suam et animarum auxilium inchoare dignatus est.[1]) Plenam hanc rationum humanarum naturaliumque donorum diffidentiam — quamquam iis quoque diligentissime uti debemus, « ut divinae gratiae juxta summae prudentiae suae ordinem per haec cooperemur » [2]) — et hanc voluntatem committendi nos plene perfecteque providentissimo Creatori ac Domino nostro S. P. Ignatius, ut notissimum est, omnis laboris nostri fundamentum esse voluit. Quod videre est in splendido illo Constitutionum Prooemio et fusius evolutum initio ultimae partis, ubi media pertractat, quibus totum Societatis corpus conservari et augeri possit. Eandem veritatem Deus mundo universo, qui in sua sapientia et fortitudine, « in curribus et in equis suis » [3]) confidebat, terribilibus verberibus in mentem revocare velle videtur nostrisque simul mentibus et cordibus altius imprimere, ne spiritu mundano seducti humanis inventis nimium innitamur.

Restat, ut divinae Providentiae nos invicem assiduis precibus commendemus. Equidem a die quo Dominus mihi Societatem nostram dilectissi-

[1]) Const. p. X, n. 1. [2]) ib. n. 3. [3]) Ps. 19, 8.

mam gubernandam commisit praeter orationem assiduam et sacrificia, quibus gratiam conservationis et augmenti ipsius ex monito S. Patris nostri impetrare studeo,[1]) quovis vespere omnes Provincias earumque Missiones memoria repeto, omnes singularum socios atque animas per ipsos salvandas Amantissimo Cordi Jesu offero, et dum peculiari modo iis benedico, qui bellorum calamitatibus magis afflictantur gravioribusque animarum et corporum periculis exponuntur, divinae Majestati supplico, ut tot tantasque aerumnas in bonum vertat et animas nostras igne tribulationis purificatas ad sublimiorem virtutis gradum evehere dignetur secundum suavissimam sapientiae suae dispositionem, quae luctuosis temporibus magnos sanctos excitare consuevit. Vos autem, Reverendi Patres ac Fratres in Christo Carissimi, Patres congregatos secuti, qui precibus, benignitate atque sollerti charitate me summopere juvarunt, ne desistere velitis auxilio esse mihi totique Curiae, praesertim PP. Assistentibus, quos a Societate accepi fideles ipsius administros meosque in laboribus adjutores. Praeter solitas enim rationes deprecandi Deum pro communi Patre et Curia Praepositi Generalis haec nunc singularis ratio accedit, quod difficillimis vivimus temporibus, quae nisi omnia fallunt novo aevo pro humana societate et ecclesia initium sunt factura. Jamvero in tali rerum discrimine religiosi ordines singulari modo a Deo vocari solent, ut Ejus consiliis exsequendis adlaborent, nec Societati suam hujus muneris partem defuturam esse confidimus. Ne igitur gravemini fusis ad Deum precibus tenues corporis animique mei vires roborare et abundantes gratias universae Societati implorare, ut hoc quoque tempore summa Majestas ejus ministerio uti pergat ad majorem suam gloriam et quam plurimarum animarum aeternam salutem. Atque hoc modo Congregatio XXVI, auspiciis BB. Virginis Mariae incepta, in charitate SS. Cordis Jesu peracta, in pervigilio festi S. Joseph absoluta, tantis patronis faventibus suum finem plene assecuta est.

[1]) Const. P. IX, c. 6, A.

Vestrum Omnium Servus in Christo

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

Praepositus Gen. Soc. Jesu.

Romae, in festo Apparitionis S. Michaelis, die 8 Maii 1915.

APPENDIX

Beatissime Pater!

Ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter peto, ut Sanctitas Vestra ad dubia omnia tollenda responsum datum a p. m. P. Generali Martin in quaestione de reali inter essentiam et existentiam distinctione approbare benigne dignetur. — Responsum vero fuit sequens:

Sententia realis distinctionis inter essentiam et existentiam, prouti sententia contraria, est in Societate libera et unicuique licet eam sequi et docere sub hac tamen duplici conditione: 1) Ne eam quasi fundamentum faciat totius philosophiae christianae atque necessariam asserat ad probandam existentiam Dei eiusque attributa, infinitudinem etc. et ad dogmata rite explicanda et illustranda. 2) Ne ulla nota inuratur probatis et eximiis Societatis Doctoribus, quorum laus est in Ecclesia.

Et Deus.

ROMAE, die 9 Martii 1915.

Wl. Ledóchowski
Praep. Gen. Soc. Jesu.

Praedictum responsum R. P. Martin novimus exaratum fuisse iuxta mentem Leonis XIII fel. rec. ideoque illud approbamus et nostrum omnino facimus.

Ex aedibus Vaticanis die 9 Martii 1915.

Benedictus PP. XV.